



Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinque

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

4. Quæ sit futura eius doctrina.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

quanta sit hominis fragilitas, quantaq; demonis efficaciacia ad superandum illum, si Deus permisisset. Item ex illius hominis perversitate, & malitia fumet Deus occasionem exercendi Sanctos suos, & illusterrimas victorias per illos obtinendi, vt recte dixit Hippolyt. lib. de consummat. mundi, & inferius latius dicturi sumus. Tandem Iren. lib. 5. cap. 29. sic inquit, *Propter hoc in bestia veniente recapitulatio fit vniuersæ iniquitatis, & omnis doli, vt in ea confluens, & conclusa omnis virtus apostolica, in caminum mistatur ignis.*

Hippolyt.
Iren.

SECTIO IV.

Quæ sit futura Antichristi doctrina, & modus suadendi illam.

Quæstio hæc solum intelligitur de doctrina, quæ in diuinarum rerum cognitione, seu fide consistit, & fundamentum est religionis, diuini cultus. Nam de aliarum rerum sententia, & cognitione nihil nobis est de illo reuelatum, neque ad institutum nostrum quicquam spectat. Duo autem inquiri possunt. Primum quid reuera ipse sentiet de Deo, ac rebus alijs, quæ ad salutem animæ pertinent. Secundo, quid exterius docebit, ac persuadere conabitur. Dicemus autem prius de hac posteriori parte, quia illa poterit esse hominibus notior: ex decisione vero eius aliquid postea de priori coniectabimus.

Primum igitur, ac veluti fundamentum doctrinæ Antichristi erit, Iesum Christum Dominum nostrum non fuisse verum Messiam, neq; filium Dei; neque hominum saluatorem, & consequenter totam eius religionem, & sacramenta esse vanam superstitionem, & è contrario Moyse legem esse seruandam, circumcisionem retinendam, &c. Hæc omnia colliguntur primo ex ipso nomine Antichristi. Ideo enim sic per antonomasiam appellatus est, quia potissimum eius institutum erit, Christum negare, & è medio tollere. Quod plane docuisse videtur

Joan. 2.
Primum Antichristi doctrina & institutum, Christi diuinitatem & religionem negare.

Matth. 24.

Dan. 7.

Greg.

Hippolyt.
Hieron.
August.
Chrysost.

Joan. 1. can. c. 2. dicens. *Quis est mendax, nisi qui negat Iesum esse Christum, & hic est Antichristus?* Et in Græco ponitur articulus, & quo significatur hoc fore potissimum dogma & institutum illius, qui propriè Antichristus appellatur. Secundo hoc probatur ex ijs, quæ supra dicta sunt, quod Antichristus primum omnium incipiet doctrinam suam Iudæis suadere, vt ab eis pro Messia recipiatur: ergo necesse est, vt prius suadeat, nullum alium esse verum Christum, seu Messiam. Hoc quoque significauit Christus Matt. 24. vbi de temporibus Antichristi loquens, nos monet, *Si quis nobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi, & pseudoprophetae.* Significat ergo Antichristum negaturum verum Christum, & alium falsum introducendum. Tertio ex effectibus idem constat. Nam hæc de causa faciet bellum aduersus Sanctos, & Ecclesiam Christi oppugnabit, & vniuersa Sacramenta, ac iuge sacrificium auferet (vt constat ex Daniel. 7. 11. & 12. & infra sect. 6. latius explicabimus) ergo signum euidentis est odio habiturum Christum, eumque precipuè, & totam eius religionem esse euersurum. Et hinc è contrario facile credi potest instauraturum Moisaicas ceremonias, saltem in principio, cum suos instillare genti suæ errores ceperit. Quia nulla alia ratione poterit eis melius persuadere, se esse Messiam, cum illi existiment legem Moysis esse perpetuo duraturam. Vnde Gregor. libr. 11. Episto. 3. eos, qui docent, legis ceremonias esse obseruandas, Antichristi prædicatores vocat, Nam ille (inquit) *Iudæis are populum compellet, vt exteriorem ritum legis reuocet, & sibi Iudæorum perfidiam subdat.* Similia docet Hippolyt. dicta orat. de consum. mun. Hieron. Dan. 11. August. 20. de Ciuit. cap. 8. Chrysostom. & alij Græci. 2. ad Thessal.

A 2. circa illa verba, *Nisi veneris disceptio primum, vbi per discessionem apostasiam à Christo interpretantur, & intelligunt, ea voce significare ipsum Antichristum.* Quia erit multis causis recedendi à Christo, & quia hoc erit potissimum eius institutum.

Secundo dicendum est, Antichristum in initio doctrinæ suæ persuasurum Iudæis se esse Messiam in lege promissum. Excluso enim vero Messia, nihil ei restabat aliud, neque de eius superbia, & ambitione aliud sperari poterat, quàm vt se Messiam simularet. Hoc intelligunt Patres significasse Christum illis verbis. Si alius venerit in nomine suo illum accipietis. Quamquam enim videatur sermo conditionalis tamen ab omnibus Patribus supra citatis intelligitur esse absoluta prophetia de Antichristo, vt illa particula, si, posita sit pro, cum, vel, quando. Deinde idem significatur in verbis illis Matth. 24. Si dixerint vobis, ecce hic est Christus, aut ecce illic, vt notat Cyrill. Ierosolym. dicta cat. 15. dicens venturum Antichristum se ipsum Christum vocantem, ac per hanc Christi appellationem Iudæos, qui venturum expectant, decipientem: & infra. Ac primum quidem tanquam prudens aliquis, & intelligens, temperantiam, atque humanitatem simulabit, signisque, & portentis magica impostura decipiet Iudæos, tanquam is esset Christus ab illis expectatus. Addit etiam Ambros. libro. 10. in Lucam, cap. de signo appropinquantis desolationis, quod erit etiam ex Scriptura disputans se esse Christum. Denique reliqui omnes, qui de Antichristo scribunt, præsertim Irenæus Hippolyt. & Hiero. dicunt esse suscipiendum à Iudæis vt verum Messiam, & hoc esse futurum initium tyrannidis eius, ergo.

Antichristum in principio doctrinæ suæ Messiam se esse mentisur. Ioan. 5.

Matth. 24.
Cyrill.
Ierosolym.

Ambros.

Iren.

Hippolyt.

Hieron.

Tertio dicendum est, Antichristum docturum, ac persuasurum hominibus, vt credant, nullum esse verum Deum præter seipsum: verisimile autem est, non esse hoc docturum, donec rerum omnium potiarur. Prior pars probatur ex Paulo 2. ad Thessal. 2. Extolletur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se, tanquam sit Deus, seu (vt habent Græci codices, & alij Latini) ostendens se quasi sit Deus, igitur inducet homines vt se tantum venerentur, & recognoscant vt Deum, & vt excellentiorem, ac potentiorem omni illo, qui hætenus nominatus est Deus. Hoc enim est extollere se supra omne, quod dicitur Deus, vt ibi exponunt Chrysostom. Ambros. & alij, & idem Chrysostom. hom. 49. in Ioan. Iren. autem lib. 3. c. 6. putat Paulum loqui tantum de idolis, non de vero Deo. Quia loquitur de ijs, qui dicuntur Dij, non tamen de eo, qui est verus Deus. Tamen cum Paul, hunc non excludat, qui maxime dicitur Deus, sed generaliter loquatur de omnibus, simpliciter intelligendus est, præsertim cum dicat, Antichristum seipsum ostensurum Deum, quia necesse est, vt introducendo se falsum Deum, verum excludat. Præterea hoc aperte confirmat Daniel cap. 11. dicens, *Eleuabitur, & magnificabitur aduersus omnem Deum, & aduersus Deum Deorum loquetur magnifica, & Deum Patrum suorum non reputabit, nec quenquam Deorum curabit, quia aduersum vniuersa consurget.* Quæ verba adeo perspicua sunt, vt nulla egeant expositione.

2. Thessal. 2.

Chrysost.
Ambros.
Iren.

Dan. 11.

Oritur tamen ex verbis sequentibus difficultas, Obiectum. Quia ex dictis sequi videtur, Antichristum ablaturum idola, & illorum cultum. Id enim expresse videtur asserere Paul. & Daniel, vnde Iren. libro tertio capite sexto, & libro quinto, capite vigesimo quinto, tractans hæc loca dicit. Antichristum ablaturum omnia idola. Idem sentit Hugo Aetherianus libro de regressu animarum, capite 23. & Cyril. Ierosolym. mitan. cat. 15. dicens, *Odio habebit idola.* Idem Hippolyt. supra Chrysostom. cum alijs Græcis. 2. ad Thessal. 2. Hieronymus super Daniele, & dicta questione 11. ad Algiam: consequens autem videtur esse contra eundem Daniele capite vndecimo dicentem, *Deum autem Mæozin in loco suo venerabitur, & Deum quem*

Hugo.
Cyrill.
Hippolyt.
Chrysost.

Hieron. quem ignorauerunt Patres eius, colet auro, & argento, & lapide pretioso, rebusque pretiosis, & faciet, ut maniat Deum Maozim cum Deo alieno, quem cognouit.

Responsio. Ex quibus verbis constat, Antichristum idolum aliquod veneraturum. Responderi potest primo, verba illa non esse intelligenda de Antichristo: sed de Antiocho. Nam de illo præcipue instituerat sermonem Propheta in illo cap. & quamuis more prophetico (quoniam Antiochus fuit quædam figura Antichristi) ab vno ad alterum sermonem transtulerit, vel (ut alij volunt) de Antichristo in persona Antiochi loquutus sit: postea redit ad Antiochum, & nonnulla dicit, quæ ei soli conueniunt. Hæc verò interpretatio non placet Hieronymo, qui potius ait hæc conuenire Antichristo, quam Antiocho. Nam Antiochus semper adorauit idola, quæ Patres eius cognouerunt, & adorauerunt, Theod. etiam eundem locum de Antichristo interpretatur: intelligit autem Antichristum non adoraturum Deum alium, nuncupatum Maozim, sed seipsum glorificaturum, & nominaturum Deum Maozim, id est fortem, & potentem, sic enim ipse interpretatur, & ubi Vulgata habet, venerabitur, & colet ipse legit, glorificabit. Verbum enim Hebræum optime hunc sensum admittit, & verbum etiam Græcum ἀγαλλῶ, quo Septuaginta vsi sunt. Altera interpretatio est Lyra. & Glossæ ord. & aliorum, Antichristum publice, & coram alijs ablatum idola, & omnem Deorum cultum, nec permitturum, ut alij alium præter se adorent: ipsum verò occultè adoraturum dæmonem, cum quo pactum perpetuum inibit, eiusque ope potentiam, & regnum terrenum consequetur, & deo priuatim cum pro Deo colet, & vel illum appellabit Maozim (quod præsidium, vel auxilium significare dicitur) quia in eo ponet totam spem suam, vel (ut alij volunt) eius proprium idolum in aliquo loco munitissimo, & occultissimo ponet, qui vocabitur Maozim, Nam de eo statim subdit Daniel, & faciet, ut muniat Maozim cum Deo alieno, quem cognouit.

Hieron. Hinc colligitur primo, verisimile esse Antichristum non omnino crediturum, quæ alios docebit, & credere compellet. Nam licet in principio ludæis persuadeat, se esse Mesiam, & missum à Deo fingat, quæ se credere legem Moyse esse veram: & obseruandam: tamen omnia hæc faciet simulacra, ut eos decipiat, & regnum obtineat. Postea enim & Moyse legem abijciat, & Deum verum, à quo data est, negabit. Vnde multi existimant, etiam callide ablatum esse idola, ut ludæis imponat. Quod fortasse in principio ita erit. Nam postquam imperium obtinuerit, non tantum ob hanc causam: sed maxime propter eximiam superbiam id faciet, ut nullus alius præter sese ab alijs colatur. Quæ autem futura sit eius perfidia, & quid reuera existimaturus sit de Deo, diuinare non possumus. Est autem credibile, illum futurum Atheum, nullumque præmium, aut penam in alia vita speraturum, ac propterea solum illum dæmonem veneraturum, à quo fallendi artem addiscet, diuitias obtinebit, & cuius ope imperium comparabit.

Lyran. Gloss. Secundo colligitur, qualis futura sit doctrina mortui, si quam fortasse Antichristus docebit, & obseruare faciet. Nam cum potissima huius doctrinæ pars sit, quæ ad Dei cultum pertinet, hæc tota erit plena errore, ac superstitione, prius contra Christum, Christianamque religionem: postea verò etiam contra Mosaicam, & contra rationem naturalem. Nam sibi soli dicari templa, offerriq; cultum imperabit. Et hinc facile coniectare licet, quid facturus sit in rebus alijs, quæ ad iustitiam, temperantiam, virtutesq; alias spectant. Nam in omnibus ea tantum curabit, quæ sibi ad gloriam, vel voluptatem, vel imperium augendum, & conservandum conducere existimabit: in reliquis verò amplissimam licentiam & facultatem concedet: nihil enim aliud

ex principijs positis probabiliter colligere, aut existimare possumus.

Tertio colligitur verum esse, quod in vltima parte tertiæ assertionis dicebamus, Antichristum non manifestaturum totam impietatem suam, donec plenam regni potestatem obtineat, ut expresse etiam notant Patres citati, præsertim Dam. Cyril. Hippoly. & patet facile ex discursu rerum omnium, quas hæcenus tractauimus.

Quarto, & vltimo dicendum est, Antichristum varijs modis persuasurum hominibus doctrinam, & obseruantiam superstitionis suæ, potissime verò id facturum signis, & prodigijs falsis quidem, specie tamen admirabilibus. Prior pars constat, nam quatuor præcipue modis (ut recte notat Anselm. in E. Lucidario) vretur ad decipiendos homines. Primus erit persuasione, & eloquentia. Erit enim à dæmone instructus, & edoctus in rebus omnibus, quæ ad hunc finem necessariæ fuerint: imo ait Anselmus, quod erit sapientia, & eloquentia incredibili, & omnes artes, & Scripturam memoriter sciet. Secundus erit per liberalem elargitionem diuitiarum, ut latius dicemus sectione sequenti. Tertius per terrores & minas, de quo in sectione vltima. Quartus denique per signa, & prodigia hominibus admiranda: vnde Paulus 2. ad Thessal. 2. ait. Cuius est aduentus secundum operationem Satanae: in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus, & in omni seductione iniquitatis. Nam sicut Christus miracula edidit in confirmationem veritatis: ita ipse faciet signa mendacia in confirmationem falsitatis, ut ibi notant Chrysost. & Ambros. tamen sicut Christus illa faciebat virtute Dei, qui est prima veritas: ita ipse faciet virtute Satanae, qui est pater mendacij: & ideo non faciet vera miracula, sicut Christus sed falsa. Quia vel res, quæ apparebunt, non erunt veræ, sed phantastica, ut videatur suscitare mortuum, aut vere non erat prius mortuus, aut postea non vere viuere, ut notauit Athanasius questione 3. in Antiochum, aut si interdum fuerint res veræ, quæ apparebunt, non erunt tales, quæ modo miraculose fiunt: sed per applicationem occultam naturalium causarum.

Quod si inquiras, quæ sint futura huiusmodi signa & miracula? Respond. verisimile esse futura similia illis, quæ Christus Dominus operatus est, vel quæ Iudæi ab ipso petierunt, ut notant Hippolytus dicto libro de consummatione mundi, & Lactantius libro septimo, capite decimo septimo, qui multa signa in particulari enumerant, quæ solum hæc coniectura ducti, recensere potuerunt. Nam sicut Magi Aegyptij pugnabant contra Moysen similia signa facientes, ita verisimile est, pugnaturum Antichristum contra Christum. Cuius rei vestigium habemus Apoc. 12. vbi de Antichristo dicitur, Et vidi unum de capitibus suis quasi occisum in mortem, & plaga mortis eius curata est. Cuius communis expositio est, quod finger se mori, & resurgere, ut ibi fere antiqui omnes exponunt, & sentit Gregorius libro v. decimo. Episto. cap. 3. Alius verò sensus, & fortasse magis consentaneus literæ est, quod aliquis ex principibus testatoribus Antichristi, seu Regibus illi subditis, lethali vulnere percutietur, & virtus dæmonis ab Antichristo sanabitur. In vtroq; autem sensu opus apparebit miraculosum, & stupendum. Vnde subditur, Et admirata est vnusquisque terra, post bestiam, & adorauerunt bestiam dicentes, Quis similis bestia? Postea verò subiungitur aliud signum. Ecce signa magnas ut etiam ignem faceret descendere à celo in terram in conspectu hominum. Sed est aduertendum, hoc posterius signum non attribui in eo cap. eidem bestia sed alteri, & quamquam Rupertus velit, per vtramque bestiam significare eundem Antichristum, verisimilius tamen est (quod Anselm. Rich. ibi, & Ire. lib. 5. c. 23. dicunt) duas illas bestias significare diuersas personas, & posteriorem esse ministrum aliquem Anti-

Damasce. Cyril. Hippolyt.

Antichristus superstitione sua hominibus suadebit quomodo. Anselm.

2. Thessal. 2.

Chrysost. Ambros.

Athanas. Ambros.

Dubium. Responsio. Hippolyt. Lactant.

Exod 7. Apoc 13.

Gregori.

Rupert. Anselm. Richard.

Anti-

Antichristi, & prædicatorum eius, ac pseudopphetam illum, de quo fit mentio in eodem libr. Apoca. ca. 19. de quo etiam ibidem dicitur, *fecit terram & habitantes in ea adorare bestiam primam*, id est, Antichristum, & postea subditur, hanc posteriorem bestiam crexisse imaginem, seu effigiem Antichristi, & coegisse homines, ut eam adorarent, & ad hoc aliud etiam signum effecisse, scilicet ut imago bestie loqueretur. Vnde coniicimus Antichristum non solum per seipsum, sed etiam per alios effecturum signa ad suam doctrinam suadendam. Et propterea fortasse in plurali dixit Christus Matth. 24. *Dabunt signa & prodigia magna, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi*. Et ideo erit illa tentatio omnium grauissima propter multitudinem & magnitudinem signorum, ut notauit Greg. 32. Moral. c. 12. & li. 33. c. 20. & 21. & Ild. lib. 1. de summo bono. c. 28. Nam olim (inquit) faciebant miracula Martyres, tunc autem videbuntur facere ipsi persecutores. Et eleganter Aug. Psal. 9. tractans illa verba. *Infradatur in occulto, quasi leo in spelunca sua*, ubi per leonem in spelunca, Antichristum intelligit, in quo vis & dolus operabitur, cuius persecutio superest, quia nihil est periculosius, quoniam violenta, & fraudulenta erit. *Vim habebit in imperio, dolum in miraculis*. Dices, Videtur esse contra suauem diuinæ providentiæ gubernationem, ut permittat fieri tam stupenda signa in confirmationem falsitatis. Tum quia hoc videtur esse permittente tentari homines ultra id, quod possunt: tum etiam, quia hinc potest labefactari fides diuinorum miraculorum, quia semper formidari poterit, an falsa sint. Respondeo non esse contra ordinem diuinæ providentiæ, tum quia hæc permissio effectus erit diuinæ iustitiæ in vindictam incredulitatis Iudæorum, & aliorum peccatorum, quæ illo maxime tempore multiplicabitur, ut ex Matth. 24. & ex aliis Scripturæ testimoniis supra citatis aperte colligitur. Vnde Cyrill. Ierosol. supra, *Fraternum* (inquit) *odium locum dabit Antichristo, præparat diabolus schismata populorum, ut tanto facilius hostis recipiatur*. Deinde erit etiam effectus diuinæ misericordiæ, ut Sanctorum fides, & constantia magis crescat, & eluceat. Neque erit tentatio supra humanas vires diuina gratia adiutas, præsertim cum ob hanc causam hæc omnia prædicta sint, ut falsus Christus à vero, & similiter falsa signa à veris miraculis discerni possint, ut notauit Athan. q. 29. ad Antiochum, & Cyril. supra.

SECTIO V.

Quale futurum sit Antichristi regnum, quibusque modis obtinebit illud.

Primum omnium Antichristum futurum esse Regem, magnumque Monarcham aperte colligitur ex Daniel. 7. & 11. capite, supposita communi interpretatione Sanctorum, qui de Antichristo ea loca intelligunt. Cap. enim 7. explicatur, cornu illud paruulum quod Antichristum significare diximus, ijs verbis, *Cornua decem, decem Reges erant, & alius consurgit post eos, & ipse potentior erit prioribus, & vires Reges humiliabit*, & cap. 11. de eodem Antichristo dicitur. *Et faciet iuxta voluntatem suam Rex: erit ergo absque ulla dubitatione Antichristus rex temporalis*. Secundo est certum, Antichristum non habiturum aliquod regnum iure hereditario, sed habiturum potius humilem originem: & paulatim, ac fraudulenter regnum occupaturum. Hoc significauit Damasc. dicto c. 27. illis verbis, *Ex fornicatione itaque nascetur, & clam educabitur ac repente insurget, caputque attollet, atque imperio potietur*, & Cyril. dict. ca. 15. dicens, *Antichristum per magicum maleficium deceptorum gentes, & Romanum imperium usurpaturum*. Clarius

A Hier. Dan. 11. de Antichristo sic scribit, *Qui consurgere Hieron. habet de modica gente, id est, de populo Iudæorum, & tam Dan. 11. humilis erit, atque despectus, ut ei non detur honor regius, & per insidias, & fraudulentiam obtineat principatum*. Quod colligit ex illis verbis Danielis, quæ de Antichristo interpretatur. *Et stabit in loco eius despectus, & non tribuetur ei honor regius, & veniet clam, & obtinebit regnum in fraudulentia*. Atque idem colligi potest ex c. 7. & 8. ubi, propter humile principium, per cornu paruulum Antichristus significatur. Nam licet hæc possint de Antiocho intelligi: tamen multo verius creduntur implenda in Antichristo, cuius Antiochus typus erat. Denique addi potest coniectura. Nam (ut diximus) Antichristus ex Iudæis orietur, qui nullum regnum, aut imperium possident: sed per vniuersum orbem dispersi, & abiectissimi sunt, neque ullam spem habent sceptri & imperij usque ad Antichristi tempora. Nam (ut Hieron. ait Dan. 11. circa illa verba, *Faciet, quæ non fecerunt patres eius*) nullus Iudæorum absque Antichristo regnauit.

Tertio dicendum est, Antichristum per dolum ac fraudem inceptorum regnare Babylone, & inde pugnaturum cum alijs regibus, & tres potissimos debellaturum, ac tandem septem alios, & vniuersum orbem sibi subiugaturum. Hæc assertio magna ex parte colligitur ex Scriptura, & probabilibus coniecturis ex ijs, quæ in Scriptura dicuntur. Et in primis, quod regnum Antichristi inchoandum sit Babylone multi colligunt ex illis verbis Zachar. 5. *Et leuauerunt amphoram inter terram, & celum, & dixi ad Angelum, qui loquebatur in me. Quos isti deserunt amphoram? & dixit ad me, ut adificetur ei domus in terra Senaar: & stabiliatur, & ponatur ibi super basem suam, ubi Septuaginta legunt, in terra Babylonis*. Quia (ut Hieron. notat) Senaar campus est Chaldæorum, in quo extructa est Babylon. Genes. 10. 11. & 12. Significata autem est in illa visione (ut Rupert. ibi notat) impietas, & incredulitas Iudæorum, & supplicium diuinum, quod sustinent. Quia videlicet nec terra sua capit eos: nec calum admittet eos. Quod supplicium usque ad finem mundi, & Antichristi aduentum durabit: tunc autem ædificabitur eis domus Babylone, quia ibi Antichristum pro Melsia recipientibusque regnare incipiet. Quod etiam verisimile sit ex sententia eorum Patrum, qui dicunt Antichristum nasciturum Babylone. Deinde quod initium huius regni futurum sit per dolum, ac fraudem, asserunt Hieron. Cyril. Damasc. & alij supra citati. Et per se est verisimile: quia non est obtinendum iure hereditario, neque etiam in principio potest comparari per potentiam, & vim, nisi fingamus solum dæmonem illaturum bellum hominibus pro Antichristo, ut illi per vim regnum obtineat quod posset facile fingi, si dæmones in corporibus assumptis pro illo pugnaret. Sed non oportet hæc sine fundamento fingere, præsertim cum dæmon non tam intendat homines per vim debellare, quam decipere, & in errorem inducere. Prius ergo, quam Antichristus per vim homines aggrediatur, aliquos per fraudem sibi adiungat, præsertim Iudæos, ut supra dictum est. Hæc autem fraus non solum consistet in falsa doctrina supra explicata: sed etiam in promissionibus temporalibus, quas Iudæi potissimum expectant, & (quod caput, & maximum robur illius) ingentibus diuitijs abundabit, & amplissimis largitionibus facile infinitam hominum alliciet multitudinem. Quia (ut dicitur Dan. 11.) *Dominabitur thesaurorum auri, & argenti, & in omnibus pretiosis Aegypti*. Vnde Ansel. in Elucidario ait, *quod industria demonum, omni pecunia occulta, erit ei manifesta: siue sit in mari, siue in reconditis terrarum finibus*. Imo fortasse etiam mineralia auri, & argenti virtute dæmonum elaborata, omnia illi offerentur, & vsui erunt ad imperium obtinendum. Atque hoc modo tantum crescat in initio regni sui, ut potentior fiat quolibet alio